




BIBLIOTHECA RHACVSINA



AD

DE M.

12 g

BR E

Joannis
U. D
Provi
demi
tis, d
terni
Societ
nium
tium

RH.
Apud

AD ANTONII GALLONII

DE MARTYRUM CRUCIATIBUS

LIBRUM

BREVIS ADDITIO

Joannis Josephi Paulovichii Lucichii J. U. Doctoris, Patricii, Canonici, & Provicarii Generalis Macarensis, Academici Etrusci Cortonensis, Spalatensis, & Jaderensis Dalmatiarum, Veliterni Volscorum, Regiæ Sebethidos Societatis Neapolitanæ Socii, Unanimium Taurinensium, atque Constantium Censoris &c. &c. &c.



RHACUSII MDCCXCVI.

APUD ANDREAM TREVISAN

Superiorum Permissu.

Quid non tentat sæva crudelitas?



SS. CHRISTI. MARTYRIBUS.
QUI.
EXQUISITA. SUPPLICIA.
CARNIFICINAS. IN. THEATRO.
DAMNATIONEM. AD. LUDUM.
GLOBI. ORBICULARII.
INSOMNIÆ.
CENSITATIONIS.
IGNIS. LENTI.
OBSORBITIONIS.
CORONÆ. ARDENTIS.
ATQUE. CLYSTERII.
IMMANIA. ATQUE. GRAVISSIMA.
CRUCIAMENTA. FORTITER. PERPESSI.
VICTORES. TRIUMPHATORESQUE. DIVINÆ.
GRATIÆ. AUXILIO. SUNT. EFFECTI.
JOANNES. JOSEPH. PAULOVICHIUS. LUCICH.
DALMATA. MACARENSIS.
PERBREVEM. HANC. DE. ADMIRANDIS.
IPSORUM. CERTAMINIBUS.
ADDITIONEM. PIO. ANIMI. SENSU. AC.
DEVOTO. CORDIS. AFFECTU. HUMILITER.
OFFERENDO.
PRO. OBTINENDIS. PATIENTIÆ. FORTITUDINIS.
AC. PERSEVERANTIÆ. VIRTUTIBUS.
V. S. L. M.
UTINAM. IN. PACE. SEMPER. SIT.
SPIRITUS. MEUS. ET. HABITATIO. MEA.
VOBISCUM. IN. SION.

LECTORI ERUDITO AUTHOR SALUTEM.

ASsuetus a puero incredibili spiritus dulcedine Acta Sanctorum studiose ac frequenter volutare, statim atque Epistola mea de Supplicio Terebrationis publicæ lucis usuram accepit, animum subit cogitatio celeberrimum Antonii Gallonii Librum de Cruciatibus exquirere, atque operi tam eximio, si quid deesse deprehenderim, pro summa ingenioli exiguitate prætermissa superaddere. Aureum verè opus undique conquisitum, tandem hisce Dominicæ Passionis diebus ab humanissimo atque eruditissimo Viro Jacobo Coletio Veneto commodatum accepi, atque præpropera festinatione perlegi. Omnigenam Gallonii eruditionem admiratus, pauca quædam Suppliciorum genera vel tenebris quibusdam adhuc obvoluta aliquantulum, vel tanti Viri silentio compressa cognovi, eaque e vestigio supplere perbrevi hac mea Additione curavi. Eam tu, Lector erudite, gratanter excipe; hisque infirmis conatibus meis in perscrutandis Sanctorum Martyrum passionibus, & triumphis libens utere. Vale.

CA-



CAPUT I.

QUÆNAM FUERINT OLIM EXQUISITA SUPPLICIA INQUIRITUR.

IN Romano præcipue Martyrologio frequens fit de exquisitis suppliciis commemoratio. His affecti recensentur (1) plures Christi Athletæ, quos longum esset hic loci singillatim nominatimque referre. Quænam ea fuerint, ut merito exquisita nuncupari mereantur, inquisitione dignum videtur. In rem scripsit Cyprianus ad Demetrianum inquiens: „ Admoves in laniandis corporibus nova „ tormenta; excogitat novas pœnas in„ geniosa crudelitas"! Eusebius verò (2) ait: „ Has quidem pœnas ingeniosi illi, „ & æqui, scilicet Judices, quo suam „ solertem indolem, & ingeniorum acu„ men ostenderent, & perinde ac si sin„ gula-

(1) *Vide Martyrol. Romanum die* 25. *Febr.* 30. *April.* 9. *Junii &c.*
(2) *Hist. lib.* 8. *cap.* 24.

„ gulare quoddam sapientiæ specimen in
„ ea re eluxisset, attentius excogita-
„ runt, atque in novis suppliciorum ge-
„ neribus adinveniendis, non aliter atque
„ in certamine, præmia assequi labora-
„ bant, seque inter ipsos superare obni-
„ xe contendebant". In exquisitam eorum sævitiem sic invehitur (1) Tertullianus: „ Exquisitior quæque crudelitas
„ vestra, illecebra est magis sectæ. Plu-
„ res efficimur, quoties metimur a vo-
„ bis: semen est sanguis Christiano-
„ rum". Seneca quoque exquisitam tormentorum inventionem detestatus est eo libro, quem de clementia scripsit (2) ad Neronem Verum quid expresse sit exquisita perferre supplicia? Puto idem esse, ac præcipua tormentorum omnium genera experiri, quæ diversis temporibus diversorum tyrannorum sæva excogitavit truculentia. Exquisitum istiusmodi cruciamentum esset Cyphonismus, supplicium nempe illud, quo quis vinculo ligneo, vel ferreo ad ignominiam ligatus, detinebatur olim melle delibutus, muscisque expositus. Huc referri etiam posset Scaphismus, teterrimum supplicii

ge-

(1) *Apolog. in fine.*
(2) *Cap. 25.*

genus, quo damnatus, lacte, & melle perfusus sic tradebatur muscis, aliisque volatilibus devorandus, ut inter duas Scaphas inclusus, prominentibus capite, manibus, ac pedibus tantum, ad Solis radios exponeretur: cumque cogeretur in eodem vase corporis fæces exonerare, vermibus & putredine exortis, intus infelix quidem corpore, sed beatissimus animo, post durissimum 15. vel 17. dierum supplicium depascebatur. Inter hæc ipsa exquisita supplicia referri pariter potest illud, quod Apulejus (1) narrat in hunc modum: „ Hunc Asinum ju-
„ gulare crastino placeat, totisque eva-
„ cuato præcordiis, per medium alvum
„ nudam Virginem insuere, ut sola fa-
„ cie prominente, ceterum corpus puel-
„ læ nexu ferino coerceat: tunc super
„ aliquod saxum scruposum insititium,
„ & fartilem Asinum exponere, & So-
„ lis ardentis vaporibus tradere“... Sic enim misera patebat inclusa volucrum, & canum morsibus, ac scatentibus vermibus. Id fere generis erat portentosum illud a Mezentio excogitatum supplicium, cum vivorum corpora cadaveribus adversa adversis alligaret, atque con-

(1) *Lib. de Asin. aur. in fine.*

stringeret, ita ut singulæ membrorum partes singulis essent accomodatæ, simulque tabescerent. Illud vero in cruciatibus Sanctorum quam valde exquisitum, quod impii Heliopolitæ Christianis Virginibus ignominiæ causa olim legimus irrogasse! Imperante siquidem Apostata Juliano, talis tantaque sanctis Virginibus contumelia contigit, ut in medium productæ, vestibus nudatæ, proscissæ primum atque dissectæ, deinde evisceratæ, & adhuc palpitantes, hordeo refertæ, immanissimis (1) porcis objiciebantur devorandæ. Multiplicia exquisitorum tormentorum genera perbelle recenset Josephus (2), cujus hæc sunt ipsissima verba: „ Singula proferri in „ medium tormenta mandavit, exhibentur itaque rotæ, radii, ungulæ, rotabula, catapultæ, lebetes, catastæ, frixoria, digitaria, pugillaria, manus ferreæ, subulæ, succensoria, ollæ æneæ, sartago". Dum igitur exquisitis quempiam affectum fuisse suppliciis legimus, eum quidem non uno, verum multiplici istiusmodi cruciamento necesse est intelliga-

(1) *S. Gregorius Nazianzenus* 1. *in Julianum invectiva*.

(2) *Lib. de Machab. ad Polyb.*

ligamus divexatum. Atque hæc de exquisitis Suppliciis.

CAPUT II.

De Supplicio Carnificinæ in Theatro.

DE S. Euphemia sic effatur Martyrologium Romanum (1): „ Chalcedone natalis S. Euphemiæ virginis „ & martyris, quæ sub Diocletiano Imperatore, & Prisco Proconsule, tormenta, carceres, verbera, argumenta „ rotarum, ignes, pondera lapidum, bestias, plagas virgarum, serras acutas, „ sartagines ignitas pro Christo superavit; sed rursus in theatrum ad bestias „ ducta &c. " Metaphrastes etiam carnificinam SS. Martyrum, quæ in theatro fiebat, commemorat, cum ex SS. Martyrum Theophanis & Theodori epistola ad Cyzici Episcopum, & ad reliquam Orthodoxorum multitudinem hoc ipsum describit supplicium: quo quidem enarrato, præfati SS. Martyres Fratres hæc dixisse referuntur: „ Diximus Præfecto, & iis, qui aderant . . . . Neque enim nobis in angulo, neque in „ of-

(1) *Die 16. Septembris.*

„ occulto hæc facta sunt: sed in theatro, & in medio orbis terrarum“. Nihil frequentius in Actis SS. Martyrum occurrit, quam spectante populo, eorum cruciamenta in theatro. Durissimæ, quæ in eo repræsentabantur carnificinæ, exhiberi consueverant ad comparandam adstantium voluptatem. Tanta fuerat tunc temporis efferatorum hominum inhumanitas, ut ad hæc intuenda spectacula incredibili aviditate frequentissimi convenirent. In rem Suetonius plura testata reliquit. Extat & Epigramma Martialis lib. de pœna Laureoli, quo monstrat, Domitianum in theatro tragicos casus acerbos in miserorum corpora repræsentasse. Unum Philonis testimonium videtur sufficere, ut videlicet ex eo quisque valeat theatri carnificinam pro merito deprehendere. Dum igitur pluribus agit de spectaculis, quæ tunc Alexandriæ a Flacco Præfecto fuerunt exhibita, hæc de istiusmodi habet supplicio: „ Ante flagellabantur in medio theatro, „ igne, ferroque torquebantur, spectaculis distributis in hunc modum. Mane „ usque ad horam tertiam quartamve „ Judæi flagellabantur, rotisque alligabantur, per mediam orchestram ducebantur ad supplicium: deinde post
„ tam

„ tam præclara exempla edita induce-
„ bantur saltatores, immo tibicines,
„ aliaque ludicra scenicorum certami-
„ num" . . . In theatri carnificina di-
rissimam inscriptionis vultus pœnam in-
super moris erat irrogare, prout fecisse narratur Theophilus hæreticus Imperator Iconoclasta, qui vultus SS. Martyrum Fratrum Theophanis, & Theodori atris cruentisque notis deformare jusserat, Jambos quosdam in eorum facie inscribendo.

CAPUT III.

De Supplicio Damnationis ad Ludum.

SCire operæ pretium erit, quid olim Ludi nomine veniebat, ut hinc facilius eruatur, qua ratione Christiani ad Ludum damnati, supplicia Ludi perferre dicebantur. Ludi igitur erant publica spectacula; seu celebritates publicæ in cavea, aut circo religionis causa factæ, & ad populi voluptatem. Hinc illud (1) Ciceronis: „ Populus, ac vul-
„ gus imperitorum ludis magnopere de-
„ lectatur". Apud Græcos quatuor Ludorum

(1) *Pro Muren.*

dorum genera præcipua fuerunt, Olympici, Pythii, Isthmici, Nemæi. Apud Romanos alii in circo fiebant, qui circenses appellabantur, ut Romani, Plebeji, Apollinis, Martis, Cereris, Cybeles, Augusti &c.; alii in theatro, ut tragœdiæ, comœdiæ; alii extra circum, & extra theatrum, ut compitalia, floralia &c. Universe de Ludis videsis (1) Wolfgangum Lazium. Quod autem Christiani olim Ludi pœna damnarentur, apparet ex Clement. const. (2) ubi hæc extant verba: „ Si quis Christianus propter nomen Christi, & charitatem erga Deum ac fidem ab impiis ad ludos, aut ad bestias, aut ad metallum fuerit damnatus &c." Gravissima quidem tunc erat Christianis Ludi pœna, quippe quæ falsæ religionis protestationem Ludi exercitio præseferebat; istiusmodi vero Ludos Christianis fuisse interdictos S. Cyprianus apertissimis innuit (3) verbis. Nam verecundia Christianorum nobilissima virtus a Ludis istiusmodi omnino exulabat, & ideo vetabantur Christiani & Ludos agere, & eis

(1) *Lib.* 10. *de Republ. Roman.*
(2) *Lib.* 5. *cap.* 1.
(3) *De Spectaculis.*

eis præsentes esse. Hinc nostrates ad Ludi supplicia damnati, duriora quæque cruciamenta perpeti malebant, quam inter gladiatores, ferarum venatores, comœdos, & tragœdos, pyrrhicharios, & saltatores in circo, vel theatro connumerari, nec ea agere, quæ & spectare tantum Christianis erant interdicta, lege postmodum cavit Valentinianus Imperator, ne de cætero quispiam Christianorum ob quodvis facinorosum delictum ad Ludum damnaretur (1).

CAPUT IV.

De Supplicio Globi Orbicularii.

DE hoc supplicio Clarissimus Gallonius in præclaro suo de Cruciatibus Martyrum Opere (2) breviter disseruit tum fol. 22. tum 26. Affirmat idem Gallonius Globos Orbiculares lapides fuisse maximi ponderis, nigrique coloris, rotundæ, vel oblongæ formæ, quibus impactus extabat ferreus annulus, quo immittebatur funiculus ad ligandum, ac

(1) *Lib. 8. de pœn. Cod. Theod.*

(2) *Edit. Antuerpiæ Sumptibus Andreæ Frisii 1668.*

ac suspendendum ad pedes, & manus: gravitatem verò hujuscemodi cruciatus exponere prætermisit, innuens tantum, Globos eosdem Orbiculares adinventos fuisse alios quidem æstimandorum onerum gratia, alios autem inferendorum cruciamentorum causa, illos numeri notam inscriptam præsetulisse, hos ea penitus destitutos. Durissimi sane hujus supplicii pœnam nos depromere parati, ipsissimis Josephi verbis (1) explicandam aggredimur. De ea itaque sic inquit: „ Inhumana crudelitate aliquid majus „ excogitat: Orbiculare afferri in me„ dium jubet; hinc cum pedes una cum „ manibus deorsum colligati fuissent, „ sanctum quoque chorda orbiculari ven„ trem circumcingente, in altum usque „ contrahit nec mora, separatur a sede „ sua dorsi junctura, crura cum brachiis „ extrahuntur, eiiciuntur humeri; sicque „ singulis nervis distinctis solvitur Mar„ tyr invictus". Quæ pauca quamvis, ea tamen sufficere censemus, ut Lector noster valeat supplicii hujus immanitatem intelligere.

CA-

(1) *Libr. de Macbab. ad Polyb.*

CAPUT V.

De Supplicio Insomniæ.

NUllibi Gallonius in præcellenti memorato suo Opere de Insomniæ supplicio sermonem fecisse compertus est, cujus tamen cruciamenti meminit Gellius (1) in hæc verba: „ Eadem in„ somnia cruciatos periisse". Acta SS. Martyrum pluribus in locis exhibent eos fuisse Insomnia cruciatos. Postquam enim dirè lacerato a carnificibus corpore, quispiam ex SS. Martyribus semivivus adhuc supererat, persecutores sic male affectum in carcerem conjiciebant, eumque prosternebant super pavimentum testaceis obductum fragmentis; ne videlicet fessus somni quietem caperet, quem testarum punctiones adsidue fodicarent. Hoc supplicii in genere Martyrologium Romanum (2) excruciatum præ ceteris exhibet S. Felicem Presbyterum, qui ut S. Paulinus Episcopus scribit, a persecutoribus post tormenta in carcerem missus; cochleis ac testulis vinctus superpositus

(1) *Lib. 6. cap. 4.*
(2) *Die 14. Januarii.*

situs jacuisse deprehenditur. Persæ in gravissimis excogitandis atque inferendis suppliciis rara sane immanitate industrii, Insomniæ cruciamento miseros quosque afficere in more positum sic habebant. Immani hocce perimendus supplicio per triginta dies opipare vescens dormire prohibebatur: cum autem somno pressus dormitaret, statim præacutis stimulis confodiebatur, sicque intolerabili mortis genere interibat (1).

CAPUT VI.

De Supplicio Censitationis.

GEntes omnes, cunctique terrarum Populi vitam potius periculis omnibus, jubente Principe, exponere parati sunt, quam nimio censu gravari. Docent hoc omnium temporum, omnium gentium historiæ, & quæ in eis narrantur tragœdiæ, ac parricidia. Verum tot execrandas memorias Tyrannorum impietatis in homines consulto hic loci recensere prætereuntes, illud solum censitationis supplicium nunc explicandum susci-

(1) *Vide Philippum a S. Trinitate Carmel. in itiner. Orient. Lib. 2. cap. 7.*

suscipimus, quod sub Galerio Maximiano in Christianos omnes excreverat adeo, ut cum eo connexæ calamitates fidem omnino excedere videantur. Nos quæ sub eodem impiissimo Tyranno comitata sunt censitationem mala singula persequi volentes, gestarum rerum ordinem effari constituimus ipsissimis Lactantii (1) verbis. „ At verò (ait) illud publi-
„ cæ calamitatis, & communis luctus
„ omnium fuit, census in provincias, &
„ civitates semel missus; censitoribus
„ ubique diffusis, & omnia exagitanti-
„ bus hostilis tumultus, & captivitatis
„ horrendæ species erant. Agri glebatim
„ metiebantur, vites, & arbores nume-
„ rabantur, animalia omnis generis scri-
„ bebantur, hominum capita notaban-
„ tur; in Civitatibus urbanæ, ac rusticæ
„ plebes adunatæ; fora omnia gregibus
„ familiarum referta; unusquisque cum
„ liberis, cum servis aderant: tormenta
„ ac verbera personabant, filii adversus
„ parentes suspendebantur, fidelissimi
„ quique servi contra dominos vexaban-
„ tur, uxores adversus maritos. Si om-
„ nia defecerant, ipsi contra se torque-
„ bantur: & quum dolor vicerat, ad-
„ scri-

(1) *De Mortibus Persecut. cap. 23.*

„ scribebantur, quæ non habebantur.
„ Nulla ætatis, valetudinis excusatio.
„ Ægri, & debiles deferebantur, æsti-
„ mabantur ætates singulorum, parvulis
„ adiiciebantur anni, senibus detrahe-
„ bantur. Luctu, & mœstitia plena om-
„ nia . . . Post hoc pecuniæ pro capiti-
„ bus pendebantur, & merces pro vita
„ dabatur. Non tamen iisdem censito-
„ ribus fides habebatur: sed alii super
„ alios mittebantur, tanquam plura in-
„ venturi: & duplicabatur semper, illis
„ non invenientibus, sed, ut libuit, ad-
„ dentibus; ne frustra missi viderentur.
„ Interea minuebantur animalia, & mor-
„ tales obibant; & nihil minus solveban-
„ tur tributa pro mortuis, ut nec vive-
„ re jam, nec mori saltem gratis lice-
„ ret". Et alibi idem Lactantius hæc
alia de istiusmodi censitationis supplicio
subdit (1): „ Qua vexatione generis
„ humani exactio celebrata sit, maxime
„ rei annonariæ, quis enarrare digne
„ potest? Officiorum omnium milites,
„ vel potius carnifices, singulis adhære-
„ bant: cui prius satis fieret, incertum.
„ Venia non habentibus nulla: sustinen-
„ di multiplices cruciatus, nisi exhibe-
„ retur

(1) *Cap.* 31.

„ retur statim, quod non erat. Multis
„ custodiis circumsepto nulla respirandi
„ facultas, nullo tempore anni, vel exi-
„ gua requies, frequens super iisdem ho-
„ minibus, vel ipsis judicibus, vel mi-
„ litibus pugna; nulla area sine exacto-
„ re, nulla vindemia sine custode, ni-
„ hil ad victum laborantibus relictum;
„ Quæ quamquam intolerabilia sunt,
„ eripi ab ore hominum cibos labore
„ quæsitos . . . Unde igitur hoc, o de-
„ mentissime tyranne, præstabo, quum
„ omnes fructus auferas, universa na-
„ scentia violenter eripias"? Quis verò finis tam immanem censitationem fuerit subsequutus, refert idem Lactantius sic (1): „ Mendici supererant soli, a qui-
„ bus nihil exigi posset, quos ab omni
„ genere injuriæ tutos miseria, & infe-
„ licitas fecerat. Atquin homo pius mi-
„ sertus est illis. Ut non egerent, con-
„ gregari omnes jussit, & exportatos na-
„ viculis, in mare mergi . . . Ita dum
„ cavit, ne quis simulatione mendicita-
„ tis censum subterfugiat, multitudinem
„ virorum miserorum contra omne jus
„ humanitatis occidit". Vide, qui hæc legeris, quam dirum, quamque immane fue-

(1) Cap. 23.

fuerit hoc inauditum censkationis supplicium!

CAPUT VII.

De Supplicio Ignis Lenti.

SAnctorum Christi Martyrum Acta passim exhibent gloriosos fortesque Fidei nostræ Athletas lento igne sæpe sæpius ab carnificibus combustos. De supplicio istiusmodi ignis lenti mentionem præ cæteris in Romano Martyrologio fieri recordamur præcipue die 17. Februarii, & 12. Martii, ubi hoc eodem cruciamento affecti narrantur SS. Martyres Julianus Cappadox, & Petrus Diocletiani Imperatoris Cubicularius. Lactantius de Mortibus Persecutorum (1) legitime coctos appellat, quos lenti ignis supplicium excruciavit: alibi verò istiusmodi pœna afflictos, extortos nuncupavit (2). Seneca pariter hoc eodem vocabulo usus est (3), cum ait: „ Per „ longam nervorum contractionem ex„ tortos minutatim “. Verum rationem

hu

(1) *Cap.* 3. *fol.* 90.
(2) *Ibid. segm.* 3.
(3) *Epist.* 67.

hujus inferendi supplicii Lactantius explicavit in hæc verba (1): „ Datis legibus, ut post tormenta, damnati lentis ignibus urerentur. Qui quum deligati fuissent, subdebatur primo pedibus lenis flamma tamdiu, donec callum solorum contractum igni ab ossibus revelleretur. Deinde incensæ faces, & extinctæ admovebantur singulis membris, ita ut locus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc suffundebatur facies aqua frigida, & os humore abluebatur, ne, arescentibus siccitate faucibus, cito spiritus redderetur. Quod postremo accidebat, quum per multum diem, decocta omni cute, vis ignis ad intima viscera penetrasset". Et alibi idem (2) Lactantius supplicii hujus longitudinem simul & acerbitatem indicat sic: „ Contendunt igitur ut vincant, & exquisitos dolores corporibus immittunt, & nihil aliud devitant, quam ut ne torti moriantur... Illi autem pertinaci stultitia jubent, curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, & reparetur novus „ san-

(1) *De Mort. Pers. cap.* 21.
(2) *Lib.* 5. *cap.* 11.

„ sanguis ad pœnam“. Nihil profecto hac Lactantii descriptione eloquentius desiderari potest ad lenti ignis supplicium intelligendum, ac spectandum non secus atque ob oculos positum.

Quod Lectorem movere posset, ut ulterius in rem inquireret, est, cur nimirum ait Lactantius, extinctas quoque faces singulis Martyrum membris admotas, cum accensæ, non autem extinctæ tormenti genus esse credantur? Hæc objicienti nos breviter respondebimus, duplici de causa Faces, Lampades, sive Tedas, aut Funalia etiam extincta abs tortoribus ad singula SS. Martyrum membra admoveri solita fuisse, vel ut fœtido, crassoque fumo eisdem molestiam afferrent, vel quia, utpote acuminatæ, & acutæ, quemadmodum eas describit Virgilius (1)

„ Ferroque faces inspicat acuto

acrius torquerent, & intimè membra exurerent, quod idem Poeta de more elegantissime expressit (2):

„ Sic effata facem juveni conjecit, & atro
„ Lumine fumantes fixit sub pectore tedas“.

Len-

(1) 1. *Georg.* ✝. 292.
(2) *Lib.* 7. ✝. 457. *Æne.*

Lenti supplicium ignis etiam Eusebius clarissime in sua Ecclesiastica Historia illustravit (1), dum de quodam Martyre loquens ait: „ Mandarunt nudum „ in sublime tolli, ac flagellis eousque „ toto corpore dilaniari . . . sed ubi ista „ perpessus, constans & immutabilis per„ sisteret, de reliquo ossibus ejus jam „ carne denudatis, acetum sale permix„ tum in corporis membra, cruciatu at„ tenuata, & prope tabefacta infude„ runt . . . inde craticula, & ignis una „ in medium trahuntur, & reliquiæ ejus „ corporis, tamquam carnes ad come„ dendum paratæ, ignis incendio non „ raptim, . . . sed paulatim absumptæ „ fuerunt“. Sed de hoc supplicii genere satis.

CAPUT VIII.

De Supplicio Obsorbitionis.

GAllonio excepto, plures, iique sane clarissimi Viri de istiusmodi cruciatu sermonem fecisse recensentur. Lactantius imprimis hoc supplicium commemorat Libro de Mortibus Persecuto-

B rum

(1) *Lib. 8. cap. 6.*

rum (1), ubi Cæsaris Galerii immanitatem ob oculos sic ponit: „ Habebat „ ursos ferociæ, ac magnitudinis suæ simillimos . . . His homines non plane „ comedendi, sed obsorbendi objectabantur“. Eusebius (2) certè plures SS. Martyres diro hoc modo in Diocletianea persecutione coronatos fuisse luculenter testatur. Etiam S. Gregorius Papa libro 3. Dialog. cap. 2. scribit in historia S. Cerbonii Episcopi Populoniensis, eundem in medium deductum fuisse, atque ad inferendam ei mortem tali supplicio immanissimum ursum immissum, qui accensus, & concitus, S. Episcopum obsorberet. Verbum *obsorbeo* latinum, ex Cellarii observatione Plauto, & Virgilio est usitatum; & hæc propriè significat sanguinis humani inter vorandum sorbitionem, ursis, ut ajunt, gratissimum (3): ex quibus colligere licet, ursos in hoc inferendo supplicio semper abs tyrannis adhibitos. Modum verò Martyres obsorbendi habes apud Cuperum, qui in ponte quodam ligneo Martyres distentos,

(1) *Cap.* 21. *segm.* 5. 6. *fol.* 137. 138. *Romæ* 1759.
(2) *Lib.* 8. *cap.* 7.
(3) *Vide Eusebium lib.* 5. *cap.* 1.

tos, bestiisque expositos exhibet. Ursus namque ad Martyrem quempiam obsorbendum destinatus, diurna unius saltem diei fame & siti ad obsorbitionem perficiendam parabatur: deinde in Martyris conspectum adductus, ad eum obsorbendum ab carnificibus concitabatur; qui statim duplici feritatis famisque furore correptus, brachium, pedem, caput, vel pectus ipsum Martyris incredibili aviditate comminuebat: tum humani sanguinis dulcedine illectus, sitisque explendæ percupidus, a devoratione paululum abstinebat, donec sanguinem ex dissectis venis exsugendo emungeret, membraque singula cruenta obsorbitione affligeret. Quo quidem in supplicio, proh Deus, qui quantique unius Christi Athletæ acerbi agones!

CAPUT IX.

De Supplicio Coronæ Ardentis.

Quanta qnamque illustria SS. Martyrum Historiæ subministravit adjumenta paulo ante in lucem (1) emis-

(1) *Romæ apud Antonium Fulgonium* 1793.

emissus Thebaico-Borgianus Codex de Miraculis S. Coluthi M. &c., percipi potest vel ex ipsa eaque maxima bonorum omnium, eruditorumque Virorum sollicitudine, qua certatim exquirentes Opus verè quidem aureum cedroque dignum, illud festini ac lætabundi sibi comparandum curarunt. Mihi sane legendorum istiusmodi monumentorum cupiditate vehementer incenso ea sors obtigit, ut egregium omni ex parte ac pretiosissimum Volumen Eminentissimi atque humanissimi Domini mei S. R. E. Principis & Cardinalis Stephani Borgiæ clementia ac liberalitate dono datum acceperim. Non is ego sum, ut valeam de insigni totius Operis merito dignam pronuntiare sententiam: id enim æquum est, ut summi faciant Viri, haud illi, quibus reponi posset argutum illud Plinii effatum: „ Ne sutor ultra crepidam". Verum SS. Martyrum cruciatus mente & calamo revolventi effari pauca liceat, nimirum quædam suppliciorum genera, de quibus in Præfatione (1) Clarissimi atque doctissimi Viri Augustini Antonii Georgii, tanti Operis editoris, ac illustratoris optime meriti, fit sermo, nunc ma-

(1) §. IV.

magis magisque clarificari pretiosi Voluminis splendore, unam autem cruciamenti rationem novam omnino mihi atque hucusque incompertam exhiberi. Quæ in explicanda suppliciorum historia uberiora mihi visa sunt, occurrit imprimis illud HERMETARII vocabulum, quod tum ignitis vasibus, effervescenti aqua, vel alio inflammato liquore plenis, tum ædibus ipsis, in quibus hæc instrumenta passionis Christi Militibus parabantur, didici tribuendum. Aliud quoque Martyrii instrumentum, quod Sympselion, aut Sella, sive Sedes, & Cathedra ferrea ignita nuncupabatur, quodque simplex ac stabile fuisse putabam, duplex, seu plicatili forma constructum nunc primum cognovi. Præterea: terebrationis supplicium anno superiore exponenti in opella mea, quæ jam in vulgus elata est, nunquam in mentem venit me antea legisse, candentibus terebris vel uni ex Sanctis Martyribus effossos ab carnificibus oculos, quod quidem gestum accepi, cum Cyprianus Præses adferri jussit terebras duas ardenti igne candentes, quas tamdiu intro in oculos Sancti pueri Anub impelli mandavit, quamdiu oculorum pupillæ in manus ejus deciderent. Proh acerbissimi cruciatus genus! Tandem

dem in Actis SS. Martyrum non memini me umquam offendisse, cuipiam ex Christi Athletis singulas ungues evulsas fuisse: quod tamen tormentum S. M. Epime, & S. Abbati militi Tia illatum testantur eadem ab eruditissimo atque doctissimo Georgio edita Coptorum Martyrum (1) Acta.

Jam verò novum mihi atque inauditum Coronæ ardentis breviter commemoraturus supplicium, ipsissimis Clarissimi Georgii verbis utar, qui urentis cruciamenti atrocitatem sic (2) definit: „ Est Corona ex ardentibus carbonibus „ contexta, & miseri patientis capiti im„ posita cum additis facibus ad ejus la„ tera applicatis; cumque duobus folli„ bus ignem in ardenti verticis corona „ ea arte continuo excitantibus, ut ejus„ dem ignis spicula flammasque sub ejus „ brachia reflecti cogerent, donec subtus „ Cathedram, in qua Martyr sedebat, „ pervenirent". Ex quibus omnibus fas mihi sit & gravissimi supplicii Coronæ ardentis novitatem colligere, & cruciamentum hocce cum Cathedræ ignitæ tormento copulatum cogitare.

CA-

(1) *Vide præfatam Præfationem fol.* 78.
(2) *Ibid. fol.* 72.

CAPUT X.


De Supplicio Clysterii.

Novum hoc atque omnino mihi inauditum Supplicii genus supererat commemorandum, de quo ne vestigium quidem in Actis SS. Martyrum licuit hucusque deprehendere. De eo omnium primi sermonem fecere doctissimi clarissimique Viri, qui summa Christianæ & literariæ Reipublicæ utilitate Diarii Ecclesiastici Romani, præcellentissimum scribere pergunt opus; in quo extat Tabula æneis typis impressa, atque cruciamenti huius anno 1784. in Xenxi Sinarum provincia Christianis quibusdam illati rationem repræsentans. Ibi enim intueri licet hominem suis nudatum vestibus, immanique trunco, capite deorsum verso alligatum, cui adstat carnifex algidam aquam Clysterio intra nares dire suffundens: quo in supplicio tale quidem Christi Athleta deliquium patitur, ut nisi quamprimum vinculis solutus in pedes erigatur, statim soleat miseranda crudelique morte interire.

Brevi huic incomptæque de Suppliciis Additioni nostræ finem imponémus, Le-

ctorem nostrum obsecrantes, ut judicii sui maturitate dignetur perficere, quod in rem nos rudi calamo atque ingenio festini properavimus coacervare: nam

„ Sat facit indoctus Fidicen saltare volenti“.



F I N I S.

Korpus byl restaurován japonským papírem.

Nový 1/2 závěs v kozím pergamenu.

Dokončeno v červenci 1962.

N. Rýdlová

